

## P R A E F A T I O.

**N**ovam hanc Aeschyli editionem quibus rebus commotus quibusque adminiculis confisus in lucem prodire jubeam, paucis exponendum est. Commovit autem me ad rem arduam suscipiendam praeter ceteris singularis quaedam Aeschyli sors, qua factum est, ut, quum nostris temporibus virorum doctissimorum et sagacissimorum studio rei criticae, grammaticae et metricae lux vix unquam sperata affulserit, quae in poetarum maxime graecorum opera emendanda vim exercuit paene incredibilem, Aeschylus solus nullum fere fructum ex his artis criticae incrementis ceperit, neque omnino unquam editorem nactus sit, qui gravissime poetae reliquias cum religione quadam tractandas esse persuasum habuerit. Quum enim plerique, qui ad Aeschylum edendum accesserunt, lectionum, quas libri veteres aut manu scripti aut typis exarati praebent, parum curiosi, metrorum ad unum fere omnes ignari, ideo potissimum hunc poetam edendum sibi sumsisse videantur, ut haberent, in quo, quid ingenii vires possent, experirentur, accidit, ut primi